



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De invocatione Spiritus sancti, 9

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

rior ejus bonitate, & qualitate & quantitate.

5. Quid enim deliquit homo, quod non redemerit filius Dei factus homo? Quæ tanta superbia tumeret, quam non tanta humilitas sterneret? Quodnam tantum mortis imperium, quod nati Dei non destrueret crucis supplicium? Nimirum Deus meus, si æqua lance delicta peccantis hominis, & redimentis gratia librentur autoris: non tantum Oriens ab Occidente, seu inferior separatur infernus à summo cæli cardine. Iam lucis optime creator, jam culpis ignosce meis pro dilecti filii tui laboribus immensis. Iam ejus (quæso) pietati mea impietas, ejus modestiæ mea perversitas, & ejus mansuetudini mea dometur ferocitas; Iam ejus humilitas, meam superbiam; patientia, impatientiam; benignitas, duritiam; obedientia, inobedientiam; tranquillitas, inquietudinem; dulcedo, amaritudinem; suavitas, iram; charitas, lucrifaciat crudelitatem.

C A P V T IX.

De invocatione Spiritus sancti.

I. **I**Am, ô divini amor numinis, Patris omnipotentis, prolisque beatissimæ sancta communicatio, omnipotens paraclete Spiritus, mœrentium consolator clementissime, jam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, & tenebrosa quæque laris neglecti latibula, corusci luminis fulgore habitator latifica, tuique roris abundantia, longo ariditatis marcentia squallore, visitando

do foecunda. Saucia interioris hominis arcana, tui amoris jaculo; & torpentis medullas jecoris, flammis salutaribus penetrando succende; sanctique fervoris igne illustrando, intimæ mentis & corporis universa depasce.

2. Pota me torrente voluptatis tuæ, ut nil jam mundanorum degustare libeat venenata dulcedinis. Iudica me Domine, & discerne causam meam de gente non sancta, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Credo ergo, quod quemcunque inhabitaveris, Patris ac pariter Filii domicilium condis. Beatus, qui te merebitur hospitem, quoniam per te Pater & Filius apud eum facient mansionem. Veni jam, veni benignissime dolentis animæ consolator, protegens in opportunitatibus & in tribulatione adjutor. Veni mundator scelerum, curator vulnerum. Veni fortitudo fragilium, relevator labentium. Veni humilium doctor, superborum destructor. Veni orphanorum pius pater, viduarum dulcis iudex. Veni spes pauperum, refocillator deficientium. Veni navigantium sidus, naufragii portus. Veni omnium viventium singulare decus, morientium unica salus. Veni sanctissime Spiritus, veni, & miserere mei: apta me tibi, & condescende propitius mihi; ut mea tuæ magnitudini exiguitas, roborique tuo mea imbecillitas, secundum multitudinem tuarum complaceat miserationum, per Iesum Christum Salvatorem meum, qui cum Patre in tua unitate vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.